

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ac tuis vicissim benefaciat, & multa ac magna in familiam nostram merita cumulate compenset. Bene Vale, Die 10. Januarii, Anno 1573.

David Chytræus.

CXXII.

*S. D. Reverende & clarissime Domine Superintendens, Patrone colende.*

**M**isi hoc Epistolion Tutoribus orphani nepotis mei ex sorore, Jacobi Aquilæ, ut occasionem te adeundi, cum Adolescentem isthuc adduxissent, commodiorem haberent. Quod autem aliis literis rogavi, ut beneficiis erga me & totam familiam nostram multis & amplissimis hoc quoque adjungeres, & Jacobo Aquilæ, quem ingenio literarum & virtutis capace esse intelligo, habitationem & victum in Collegio Wilhelmitarum vestro curares: idem nunc etiam repeto. Nec dubito te *ὁμοῦν ἰουδαῖος, ὁμοῦν δακρῶν, ἰουδαῖος τῶν ἁγίων* oblaturum esse. Si quid etiam pro victu numerandum est, non gravatè à Tutoribus vel me persolvetur. DEUM oro, ut tibi ac tuis vicissim benefaciat, & longa vite spacia, viribus animæ & corporis vigentibus tibi propter Ecclesiam addat. Bene vale, 20. Januarii, Anno 1573.

David Chytræus.

CXXIII.

*Reverende vir & clarissime Domine Doctor ac Superintendens.*

**G**ratiam tibi habeo, quantam maximam meus potest capere animus, pro literis humanissime ad me scriptis. Si qua in re benevolæ & piæ mentis significationem, & tibi, & filiis tuis, rursus probare potero, efficiam certe, ut intelligas studium & voluntatem, vobis gratificandi, mihi non deesse. Legi literas tuas, viro clarissimo & optimo, D. Doctore Davidi Chytræo, inscriptas, quibus exponis causas consilii tui, quo adductus, à nobis, qui sacram Theologiam in hac urbe rosarum, profitemur, petis, ut duobus filiis, M. Erasmo & M. Philippo Marbachis, eruditionis, pietatis, modestiæ & gravitatis laude ornatissimis, insigniâ & gradum Doctorum in Theologia, conferamus. Ea vero in re, tibi morem gerere, summa voluntate

tate cupimus. Sed existimamus, & nostræ facultati Theologicæ, & filiis tuis, in ista ætate, magis honorificum futurum, si gradu Licentiatorum à nobis ornati, ad vos revertentur. Sunt Licentiati, omnium facultatum, ut vocant, in pari fere honore & dignitate cum Doctoribus. Ac poterunt filii tui, post paucos annos, ubi cum ætate auctoritas ipsis accrevit, vel apud nos, vel in vestra aut vobis vicina aliqua Academia, per dispensationem nostram, Doctorum insignia accipere. Sumus nos miseri, quos Theologos nuncupant, expositi omnium odiis, malevolentia, criminationibus, calumniis, furoribus, & injuriis. Minus rabiose igitur malevoli filiis tuis maledicent, & se ipsis opponent, si eos satis augusto Licentiatorum honore, potius ornatos quam durissimo Doctorum onere, in ista ætate gravatos oppressosque videbunt. Requiritur in Doctore Theologia, non tantum eruditio, eloquentia, pietas, modestia, vitæ innocentia & gravitas, quæ virtutes omnes in filiis tuis, sunt eximia & illustres, sed etiam auctoritas incurrens in oculos, magnus & excelsus animus, constanter contemnens calumnias, & patientia fortiter perferens atrocissimas injurias. Amanter & reverenter peto, ut hominis Saxonici, candide & aperte monentis libertatem, candide accipias, & de tua voluntate nos quamprimum certos reddas. Expectabunt certe filii tui a me, constantis & fidelis amici officia. Bene & feliciter vale. Rostochii, IX, Calendas Februarias, Anno a nato JESU CHRISTO, M. D. LXXIII.

Simon Pauli, Suerinensis.

CXXIV.

*Salutem in Christo Jesu. Reverende Domine Superintendens, frater in Domino colende.*

NON dubito, quin nostram vicem doleas, quod Manichæorum scriptis tam maledicis tam sædè conspuamur. Vides enim, quomodo ille, qui non tam à nobis quàm à veritate divina, judicio DEI horrendo discessit, non agat fundamentis scripturæ sanctæ nobiscum, sed meris & quidem horribilibus conviciis, & præstigiis. Utinam autem & aliæ Ecclesiæ opponerent suas confessiones, tantis blasphemias Manichæorum. Nihil dubito, quin etiam in vestris Ecclesiis nihil non tentet ac turbet iste spiritus. Equidem apud nos non desinit per literas ac mirabiles practicas cælum terræ miscere. In mea patria autem tantopere fascinavit Spangebergium, ut ibi Ecclesiæ mirum in modum distraherentur. Huc accedit vehemens ille Irenæus, sine omni ratione extrema moliens. Recte igitur faceres, optime Marbachi, si & tu Ecclesiam DEI, saltem brevi aliquo scripto commonefaceres, id DEO honorificum & Ecclesiæ ipsius salutare futurum esset. Hæc tenuia scripta, quæ mitto,

L II

qua-